



DE

EO QVOD IVSTVM EST <sup>163</sup>  
IRCA SVMTVS EDVCATIONIS  
ET SPECIATIM STVDIORVM

---

IN ILLVSTRI ARCHIGYMNASIO TREMONIENSI

EX IVRE NATVRALI

PVBLICE DISQVIRVNT

PRÆSES

*Hol 377 <sup>d</sup>/<sub>2</sub>*

MARTINVS PILGER

PRO-RECTOR AC PROFESSOR PHILOSOPHIÆ PVBLICVS

ET RESPONDENS

CASPARVS CAROLVS WEVER

WETTERA-MARC. LL. ET PHILOS. CVLTOR

---

AD D. 2. MENSIS SEPTEMBRIS *cl*l<sup>o</sup> *cc* *xlv*.

---

TREMONIÆ

EXCVDERANT OPERÆ BAEDEKERIANÆ



PEL

G

FI





PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO  
DOMINO

GVILELMO CHRISTOPHORO  
DE ROEL

HÆREDITARIO DOMINO

IN DOELBERG

NEC NON

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

FRIEDERICO DE ROEL

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI

BORVSSIÆ REGIS

EXERCITVS EQVESTRIS

GENERALI LOCVM TENENTI

LEGIONIS DESVLTORIÆ

CHILIARCHÆ

CETERA




HEROI FORTISSIMO  
INVICTISSIMI  
FRIEDERICI  
DELICHS  
FRATRIBVS VIRTVTVM SPLENDORE  
FVLGENTISSIMIS  
DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS  
ET PATRONIS SVMNIS  
BENEDICTIONEM  
ET FELICITATEM NVNQVAM CESSATVRAM  
PERPETVVM ANIMORVM VIGOREM  
CORPORVMQVE VIROREM  
AC  
PLVRIVM ANNORVM IN TRANQVILLITATE DECVR SVM  
EXOPTATISSIMVM  
DEMISSISSIME APPRECATVR  
HASQVE PAGELLAS  
STVDIORVM PRIMITIAS  
DEVOTISSIMA MENTE DICAT  
SE SVAQVE STVDIA SVBIECTISSIME COMMENDAT

Respondens

PRÆ





PRÆNOBILI AC PER-INDVSTRIO  
 VIRO IUVENI  
 DOMINO  
 CASPARO CAROLO WEVER  
 COMMILITONI SVO HONORATISSIMO

S. D. P.

PRÆSES.

**M**eritissimo *Tibi*, Respondens *Suauissime*, fit gratulatio, quod eiusmodi *Parentes*, Deo fauente, natus es, qui, Dei instar, *Te*, sobolem procreatam, huc usque conseruarunt, ad actiones *Tuas* concurrerunt, easque ad bonum finem dirigere studuerunt enixissime. Ego testis sum, quod *honoratissimus Pater Tuus, Iureconsultus Wetteranus Dexterrimus, Fautor meus singulariter obseruandus*, ex eo tempore, quo ciuis nostri Archigymnasii factus es, tam præsens, quam absens per litteras, humanitatis plenissimas, mihi custodiam *Tui* sedulam omni meliori modo crediderit, & non solum instrumenta perfectionis huius vitæ *Tibi* paret, sed id quoque potissimum agat, ut fini diuino, ob quem hunc globum terrestrem habitas, obtinendo aptus reddaris, Hic enim

R.A





enim sapientissimus studiorum *Tuorum* moderator suafor  
*Tibi* extitit, ut non solum litteras humanas, quibus com-  
 moda & bona huius mundi acquiruntur, sed etiam diui-  
 nas, quibus summum bonum obtinetur, excoleres, ac ideo *Te*  
 meis prælectionibus & philosophicis & theologicis interesse  
 iussit. Lator etiam ex animo, quod hic efficax *Te* perficendi  
 conatus, quæ Dei gratia est, non sine felici fuerit successu.  
 Sicuti enim in litteris humanioribus ac disciplinis philoso-  
 phicis laude dignos fecisti progressus; ita etiam principia  
 theologica *Tibi* omnino familiaria reddidisti. Hac via  
 perge, *Commilito Aestumatissime*. Ego certissimus sum,  
 fore, ut non solum spem *honestissimorum parentum* im-  
 pleas, sed etiam longissime superes. Ceterum spiritus  
 sanctissimus *Tibi*, in arenam philosophicam descendentem,  
 adsit, ac fulgore suo mentem *Tuam* illuminet, quo tela,  
 quæ *Tibi* parantur, prudentissime euites. Scribebam Tre-  
 moniæ d. XXVIII. Augusti 1610ccxlv.

Cur



\* \* \* \* \*

**C**ur scandis Cathedram ? num tentas proelia docta ?  
Herculeis certa viribus, Alter ego !  
Detege, si fuerint, laruis abscondita veri.  
Dubia contortis solue vibrata plicis,  
Det **TIBI** lauriferos victoria lata triumphos,  
Ut plaudant omnes, adprecor, opto **TIBI**.  
Tramite perge Tuo, vires Deus augeat, addat  
Pergeque, non telam texere Penelopes.

Ita optima quavis amico suo mellitissimo  
votis ominabatur

M. I. W. Bordelius,  
T. & P. S.

**D**a Du nun, geschätzter Freund ! willst auf die Katheder  
steigen,  
Wo Du durch die Kraft der Wahrheit Deine Gegner wieder-  
legst,  
So erfordert ja die Liebe, die Du immer zu mir hegst,  
Dir aus wohlgemeintem Sinn meine Freude zu bezeugen.  
Bleibe, wie bisher geschehen, mir beständig zugethan;  
Fahre immer fort zu gehen auf der edlenugendbahn.

H. A. Mallinkroet, T. & P. S.

Obwohl schon,  
Wehrter Musen Sohn,  
Da ich will zu deinem Lobe singen  
Mir der matte Reim nicht will gelingen;  
Nim doch hin  
Meinen frohen Sinn,  
Solt ich denn zu Deinem Lobe schweigen,  
Da Du den Katheder wilt besteigen ?  
Tapferkeit  
Zeigen allezeit  
Preussens Flug und muntre Martis Söhne,  
Denn der Trommeln rauschendes Gethöne  
Solche ruft  
Und die dicke Luft  
Viele Widerschälle läßt erschallen,  
Wenn die donnernde Karthaunen knallen. Sieh



— — —  
Sieh die Stadt,  
Da Dein König hat  
Biele Ungarn in die Flucht geschlagen,  
Selbst die Feinde wissen es zu sagen.  
Der Pandur  
Hat bey Friedbergs Fur  
Selbst mit seinem Blute müssen schreiben:  
Wer kan vor den tapfern Preussen bleiben.


Dieses dann  
Nimm zum Beyspiel an  
Da Du viele Musen hörest rasen  
Und die Pallas selbst zum Kriege blasen.  
Drum so wehr  
Diesem Musen-Heer,  
Selbe lassen scharfe Pfeile fliegen  
Und damit vermeinen sie zu siegen.

Drum so sey  
Nicht verzagt dabey,  
Wehr dich mit den Lippen, daß es blüget,  
Weil die Pallas iezo Dich beschüget  
Und dein Schuß  
Seh ein fester Schluß,  
Wenns Beweise zu behaupten wissen,  
Werden Deine Feinde fliehen müssen.

Musen-Zier!  
Sieh, ich füge hier  
Zum Beschlusse meinen Wunsch noch bey,  
Daß doch Gott Dein Schild und Beystand sey,  
Weil Dein Geist  
Biele Tugend weißt  
Und Du legest ab mit grossen Lobe  
Deiner Treflichkeiten erste Probe.

G. H. Beurhaus,

I. V. S.







MODESTA DISQVISITIO  
DE  
EO QVOD IVSTVM EST CIRCA  
SVMTVS EDVCATIONIS ET  
SPECIATIM STVDIORVM  
EX IVRE NATVRALI  
INSTITVTA

---

CAP. I.

DE

SOCIETATE NVPTIALI ET PATERNA



§. I.

*Deus in rebus, hoc in mundo adspectabili  
existentibus, gloriam suam s. perfectiones  
suas absolute summas manifestavit,  
adeoque effecit, ut ex singulis eadem cognoscatur.*

Liceat h. l. sumere, quod alibi in *Theol. Dogm. Pracogn. Cap. II. de Renel. Nat. §. 112. 161.* demonstrauiimus. Notandum quoque est, nos illa tantum hic de societate nuptiali & paterna tradere, quæ ad scopum obtinendum requiruntur.

A

§. 2.



## §. 2.

*Gloriæ diuinæ manifestatio & cognitio est finis rerum in hoc mundo adspectabili existentium.* Etenim Deus in rebus, hoc in mundo adspectabili existentibus, gloriam suam manifestavit, effecitque, ut ex singulis eadem cognoscatur §. 1. Manifestatio igitur & cognitio gloriæ diuinæ est actualitas, quæ mala non est, a rebus huius mundi dependens, adeoque usus earum communis *WOLF. Theol. Nat. P. I. §. 646.* Usus vero rerum naturalium est finis a Deo intentus *ibid. §. 648.* E. ut supra.

## §. 3.

*Deus, dum res huius mundi ad existentiam deduxit, gloriæ diuinæ manifestationem & cognitionem voluit intenditque.* Etenim gloriæ diuinæ manifestatio & cognitio est finis rerum in hoc mundo existentium §. 2. Finis vero est id, quod voluntatem causæ efficientis ad agendum impellit, & ad quod illa voluntate actionibusque suis tendit *Ontol. §. 169.* E. ut supra.

Idem quoque Deus vult, quamdiu mundus existit §. 2.

## §. 4.

*Deus vult, ut in mundo hoc adspectabili creaturæ rationales ac intellectu præditæ, adeoque homines existant, atque suam existentiam in eodem continuant, quamdiu mundus s. res huius mundi existunt.* Etenim Deus, dum res huius mundi ad existentiam deduxit, gloriæ diuinæ manifestationem & cognitionem voluit §. 3. ut finem §. 2. Hic vero finis non potest obtineri nisi per creaturas rationales ac intellectu præditas, adeoque per homines. Intellectu enim ea, quæ creaturis infunt, cognosci, ac ratione ex his perfectiones diuinæ absolute summæ s. gloria diuina colligi debent. E. ut supra.

## §. 5.



§. 5.

*Deus vult, ut homines in hoc mundo adspectabili, quamdiu existit, per generationem naturalem propagentur.* Etenim Deus vult, ut in hoc mundo adspectabili homines existant, atque suam in eodem existentiam continuent, quamdiu hic existit §. 4. Homines vero in hoc mundo adspectabili non existere, nec suam in eodem existentiam continuare possunt, quamdiu hic existit, nisi illi per generationem naturalem propagentur, uti res ipsa loquitur. (Homines enim moriuntur) E. ut supra.

§. 6.

Deus vult, ut homines in hoc mundo adspectabili, quamdiu existit, per generationem naturalem propagentur §. 5. Ad hoc vero requiritur certa partium corporis humani conformatio, per quam homines apti redduntur, itenque instinctus naturalis generandi, quo ad illum scopum obtinendum inuitantur & commouentur, uti per se patet. E. *Deus eiusmodi partium corporis humani conformationem fecit, vi cuius homines ad propagationem per generationem naturalem apti redduntur, ac instinctum naturalem generandi iisdem indidit, quo ad illum scopum obtinendum inuitantur & commouentur.*

§. 7.

Homines per generationem naturalem non propagantur, nisi communio corporum detur, unio maris & feminae facta ac foecundus concubitus celebratus fuerint, teste experientia. E. *Deus vult, ut communio corporum maris & feminae detur.* §. 5.

§. 8.

*Corpus est bonum cuiuslibet hominis proprium.* Etenim quilibet homo est ens essentia unum *Ontol.* §. 64., adeoque essentiam inseparabilem, incommunicabilem &



sibi propriam habet *ibid.* §. 63. Ad essentiam vero hominis, ut entis compositi & totius, pertinet corpus. E. ut supra.

Idem ex aliis argumentis Psychologicis demonstrari potest.

§. 9.

Corpus est bonum cuiuslibet hominis proprium §. 8., non a facto suo, sed a natura dependens, uti per se patet. Bonum vero hominis proprium, quod a natura dependet, dicitur *ad suum connatum* b. KOEHLER in *Exercit. I. N.* §. 749. E. *corpus cuiuslibet hominis pertinet ad ad suum connatum.*

§. 10.

*Communio* est status, in quo omnibus vel pluribus ex æquo competit facultas rebus externis in sui emolumentum s. ad finem suum utendi.

§. 11.

*Communio corporum maris & feminae naturalis non datur.* Etenim corpus cuiuslibet hominis, siue maris siue feminae, pertinet ad *ad suum connatum* §. 9., ac est bonum cuiuslibet proprium §. 8., adeoque ita comparatum, ut homo solus gaudeat facultate eo pro arbitrio utendi ad suum emolumentum s. ad suum finem. Vbi vero quis solus gaudet facultate re quadam externa pro arbitrio utendi ad suum emolumentum s. ad suum finem, ibi non datur *communio* §. 10. E. ut supra.

§. 12.

*Mutua corporum maris & feminae communio per pactum obtinetur.* Etenim *communio corporum maris & feminae naturalis non datur* §. 11., consequenter non obtinetur, nisi aliquo facto. Eiusmodi vero factum est *pactum legitimum & iustum*, per quod *ad nostrum fit alienum*,



num, & proprium commune E. KOEHLER in *Exere.*  
I. N. §. 1308. E. ut supra.

§. 13.

Pactum maris & feminae de mutua corporum com-  
munionem ad sobolem sui similem procreandam s. ad genus  
humanum per generationem naturalem propagandum, di-  
citur *societas nuptialis & coniugalis*. Mas *maritus*, fe-  
mina *uxor*, ambo *coniuges*, vocantur,

§. 14.

*Deus vult, ut ab hominibus societas nuptialis inea-  
tur.* Etenim Deus vult, ut genus humanum per gene-  
rationem naturalem propagetur §. 5., & quidem per com-  
munionem corporum maris & feminae mutuam §. 7., qua  
per pactum initum obtinetur §. 12. Pactum vero maris  
& feminae initum de mutua corporum communionem ad ge-  
nus humanum per generationem naturalem propagandum  
dicitur societas nuptialis §. 13. E. ut supra.

§. 15.

*Homo per generationem naturalem propagatus s. sobo-  
les procreata respectu parentum propriae carnis rationem  
habet, ac veluti pars parentum est.* Etenim homo per  
generationem naturalem propagatus s. soboles procreata  
procreatur a mare & femina per mutuam communionem  
corporum §. 13. Ex Physica autem constat, per commu-  
nionem illam corporum sobolem omnino talem esse, ut  
caro de carne parentum nata dici possit, respectu paren-  
tum propriae carnis rationem habeat, ac, quoniam antea  
in parentibus extitit, veluti pars parentum sit. E. ut supra.

Hinc VELTHEMIVS in *Adnot. ad HVG. GROTIUM de Iure belli ac  
pacis Lib. 2. Cap. 5. §. 1.*, liberi, inquit, *fictione iuris naturalis  
sunt quasi parentes parentum, uti iuris civilis fictione pater & filius una  
persona dicuntur*, ac IO. SCHNEIDEVVIN in *Comment. ad In-  
stitut.*



fitur. Imperial. d. Iustiniani Lib. II. Tit. VII. p. m. 460. dicitur: filio familias per patrem inter vivos donari non potest, & donatio, quæ fit a patre in liberos in patria potestate existentes, regulariter non valet & nullius est momenti. Estque ratio, quia pater & filius una & eadem persona esse censentur, & vox patris vox filii dicitur, ita, ut si pater stipulatur filio, non filio, sed sibi acquirat. Hinc si valeret ista donatio, esset frustranea. Dominium enim transfret in filium, & eo momento rediret ad patrem, & ideo pater de suis propriis bonis sibi ipsi donaret &c.

## §. 16.

Quoniam homo per generationem naturalem propagatus s. soboles procreata respectu parentum propriæ carnis rationem habet, ac veluti pars parentum est §. 15., quicquid parentes liberis suis faciunt, illud quasi sibi ipsi s. parti suæ facere censentur, & quicquid liberis accidit s. in illis datur, illud quasi parentibus accidit s. in parentibus datur.

## §. 17.

Homo per generationem naturalem propagatus s. soboles procreata pertinet ad rō suum parentum. Etenim talis respectu parentum propriæ carnis rationem habet, ac veluti pars parentum est §. 15. Quicquid vero proprium alterius est, illud pertinet ad rō suum alterius b. KOEHLER l. c. §. 747. E. ut supra. Idem h. m. patet: Parentes sobolem procreant & generant §. 13., adeoque generatione eam, ut effectum, producant. Quicquid vero aliquis facto suo (licito) producit, illud pertinet ad rō suum. E. ut supra. Sicuti per & propter creationem totus mundus pertinet ad rō suum Dei, ita nihil plane obstat, quo minus propter generationem soboles pertineat ad rō suum parentum. Cf. HVGOGROTIVS in Iure belli & pacis Lib. 2. Cap. 5. §. 1., GVNDLING in Iurisprud. Nat. Cap. 28. §. 4. & KOEHLER in Iure Social. & Gent. §. 200.

## §. 18.



§. 18.

*In parentibus datur σοφία, h. e., talis affectus amoris, quo hominem per generationem naturalem propagatum s. sobolem procreatam, ut seipsum, tenerrime complectuntur.*

Veritatem asserti confirmat experientia, & illa quodammodo concipitur ex §. 15. VELTHEMIVS l. c., nemini, ait, liberorum salus cura cordique magis futura est, quam parentibus, qui, dum liberos amant, recte Φίλωνται sunt, h. e., naturali amore seipsum prosequuntur. Amat enim parens partem sui, dum liberos amat. In quibus igitur parentibus σοφία non deprehenditur, illi naturam humanam exuisse, & monstra potius hominum, quam homines esse, videntur.

§. 19.

*Homo per generationem naturalem propagatus s. soboles procreata, si sibi relinquitur, propriis viribus conservare seipsum & perfectiones, quibus a natura instructus est, suamque existentiam continuare nequit, sed brevi milerissime perit ac existere desinit, teste experientia.*

§. 20.

*Homo per generationem naturalem propagatus s. soboles procreata, si sibi relinquitur, multo minus, propriis viribus perfectiones suas augere, potest, quoniam nec intellectus bonum a malo discernere, nec voluntas bonum eligere malumque vitare, valet, sed potius obbrutescit.*

§. 21.

*Homo per generationem naturalem propagatus s. soboles procreata, si sibi relinquitur, gloriam diuinam s. perfectiones diuinas absolute summas cognoscere nequit.*

Hoc confirmant exempla hominum inter bruta educatorum.

§. 22.

*In sola igitur generatione & procreatione hominis s. sobolis gloriae diuinæ manifestatio & cognitio, ceu finis rerum*



*rum huius mundi a Deo productarum §. 2., rationem sufficientem existentiae non habet §. 19. 20. 21.*

## §. 23.

Homo per generationem naturalem propagatus s. soboles procreata se suasque perfectiones, quibus a natura instructus est, propriis viribus conseruare & augere, gloriamque diuinam cognoscere, nequit §. 19. 20. 21., ita, ut hic finis in sola generatione & procreatione hominis rationem sufficientem existentiae non habeat §. 22. Deus vero vult, ut hic finis obtineatur §. 2. 3. & quidem per homines §. 4. *E. alii homines hominem per generationem naturalem propagatum s. sobolem procreatam eiusque perfectiones, quibus a natura instructus est, viribus suis conseruare & augere ac efficere debent, ut gloriam Dei cognoscat.*

## §. 24.

*Parentibus competit sobolem procreatam eiusque perfectiones, quibus a natura instructa est, viribus suis conseruare, augere atque efficere, ut gloriam Dei cognoscat.* Etenim alii homines sobolem procreatam eiusque perfectiones, quibus a natura instructa est, viribus suis conseruare & augere ac efficere debent, ut gloriam Dei cognoscat §. 23. Hoc igitur aut parentibus competit, aut hominibus a parentibus diuersis. Nulla ratio datur, quare aliis hominibus id competat, quamdiu parentes adsunt. E. ut supra. Idem h. m. patet: soboles procreata respectu parentum s. generantium propriae carnis rationem habet, ac veluti pars parentum est §. 15. Parentes vero seipsos suasque perfectiones, quibus a natura instructi sunt, viribus suis conseruare, augere atque gloriam Dei cognoscere tenentur, uti ex Philos. Mor. & Iure. N. patet. E. ut supra. Denique idem ex §. 18. colligi potest.

## §. 25.



§. 25.

Parentibus competit sobolem procreatam eiusque perfectiones, quibus a natura instructa est, viribus suis conseruare, augere atque efficere, ut gloriam Dei cognoscat

§. 24. Ad hoc vero obtinendum certa media circumspicienda & conquirenda, actionesque sobolis procreatae liberae ita dirigendae sunt, ut legi naturali conformentur, uti res ipsa loquitur. *E. parentibus competit, mediacircumspicere & conquirere, quibus soboles procreatae eiusque perfectiones, quibus a natura instructa est, conseruantur ac augentur, nec non eiusdem actiones ita dirigere, ut legi naturali conformentur.*

§. 26.

*Cura sobolis procreatae s. liberorum* consistit in circumspeditione & conquisitione mediolorum, quibus soboles procreatae eiusque perfectiones conseruantur & augentur.

§. 27.

*Parentibus cura sobolis procreatae s. liberorum competit* §. 25. 26.

§. 28.

*Educatio sobolis s. liberorum* est talis directio actionum liberarum sobolis procreatae, ut legi naturae conformentur.

§. 29.

*Educatio sobolis s. liberorum parentibus competit* §. 25. 28.

Accurate loquendo tres actus sunt, qui parentibus ratione sobolis competunt, scil. conseruatio, concursus & gubernatio, communiter duo tantum statuuntur.

§. 30.

*Deus vult, ut parentes sobolis procreatae curam gerant eamque educant.* Etenim Deus vult gloriae suae manifeste-



nifestationem & cognitionem §. 3. ceu finem §. 2. Cura vero sobolis procreata eiusque educatio, parentibus competentes §. 27. 29. sunt media, quibus hic finis obtinetur §. 26. 28. E. ut supra.

## §. 31.

*Parentes pactum ineunt de sobole procreata curanda & educanda.* Etenim parentes ob gloriam Dei ineunt pactum de sobole procreanda §. 2. ff. In hac vero sola hic finis rationem sufficientem existentia non habet §. 22. adeoque cura & educatio sobolis accedere debent §. 27. 29. 30. E. ut supra.

## §. 32.

Pactum parentum de sobole procreata curanda & educanda dicitur *societas paterna.*

Societas paterna nec est expressum nec tacitum pactum parentum cum liberis, sed regnum naturae imitari videtur. Hoc saltem certum est, parentes in hac societate vices Dei gerere, & instrumenta Dei conseruando, concurrendo & gubernando esse.

## §. 33.

*Deus vult, ut societas paterna ineatur.* Etenim Deus vult, ut parentes sobolis procreatae curam gerant eamque educent §. 30. Hoc autem parentes faciunt in societate paterna §. 32. E. ut supra.

## §. 34.

*Victus, amictus & habitatio sunt media, quibus soboles procreata eiusque perfectiones, quibus a natura instructa est, conseruantur.* Experientia assertum confirmat.

## §. 35.

*Parentibus competit, victum, amictum ac habitationem s. domicilium liberis circumspicere ac conquirere.* Etenim parentibus competit media circumspicere & conquirere

icre



re, quibus soboles procreata eiusque perfectiones, quibus a natura instructa est, conseruantur §. 25. Eiusmodi vero media sunt victus, amictus & habitatio s. domicilium §. 34. E. ut supra.

§. 36.

*Alimenta dicuntur victus, amictus & habitatio s. domicilium.*

§. 37.

*Parentibus competit liberis alimenta circumspicere ac conquirere, vel, si maus, prestare §. 35. 36.*

§. 38.

Parentibus competit perfectiones sobolis procreata augere, ac actiones eius ita dirigere, ut legi naturæ conformentur §. 25. Ad hoc vero requiruntur actiones parentum variæ continuo edendæ, uti res ipsa loquitur. E. *parentibus competit, continuo varias illas actiones edere, quibus perfectiones sobolis augentur, & huius actiones ita diriguntur, ut legi naturæ conformentur.*

§. 39.

Ob magnum negotiorum domesticorum aliorumque numerum, & ob alias rationes, sæpissime fieri nequit, ut ipsi parentes continuo varias illas actiones edant, quibus perfectiones sobolis augentur, & huius actiones ita dirigant, ut legi naturæ conformentur, teste experientia. *Parentibus igitur competit, eo dispicere, ut alii homines vices suas gerant operamque vicariam præstent in variis illis actionibus continuo edendis, quibus perfectiones sobolis augentur, & huius actiones ita diriguntur, ut legi naturæ conformentur §. 38.*

§. 40.

*Perfectiones sobolis procreatæ augeri dicuntur, quatenus*



tenus facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones ac habitus eleuantur.

Directio quoque actionum sobolis a parentibus facta ad perfectiones eius augendas, in eadem eleuatione facultatum ad dispositiones & habitus consistit.

§. 41.

*Parentibus competit sobolis procreata facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones ac habitus eleuare. Etenim parentibus competit perfectiones sobolis procreata augere, eiusque actiones ad hasce perfectiones augendas dirigere §. 25. Perfectiones vero sobolis procreatae augentur & ad hasce augendas diriguntur, quatenus facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones ac habitus eleuantur §. 40. E. ut supra.*

§. 42.

*Si sobolis procreatae facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones ac habitus eleuantur, efficitur, ut soboles procreatae olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis prospicere possint, suffragante experientia.*

§. 43.

*Parentibus competit efficere, ut soboles procreatae olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis sibi prospicere possit §. 41. 42.*

Morbi ac mors parentum ac aliæ rationes obstant, (quod enim propriis viribus liberorum fieri potest, ad id præstandum parentes non obligantur) quo minus illi sobolem procreatam ad dies vitæ sufficienter alant, & ei de necessitatibus vitæ aliisque subsidiis prospiciant. E. parentes efficere tenentur, ut ipsa quoque soboles procreata olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis sibi prospicere possit,

§. 44.



§. 44.

*Soboles procreata certo vitæ generi destinari & ad idem sollicita cura præparari dicitur, si efficitur, ut soboles procreata olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis sibi prospicere possit.*

Ex §. 42. patet, sobolem procreatam quoque certo vitæ generi destinari, & ad idem sollicita cura præparari, si facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones & habitus eleuantur.

§. 45.

*Parentibus competit, sobolem procreatam certo vitæ generi destinare, & ad idem sollicita cura præparare. Et enim parentibus competit efficere, ut soboles procreata olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis sibi prospicere possit §. 43. Efficere autem, ut soboles procreata olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis sibi prospicere possit, dicitur sobolem procreatam certo vitæ generi destinare & ad idem sollicita cura præparare §. 44. E. ut supra.*

§. 46.

*Omnes res, adeoque omnes hominum soboles procreata, inter se differunt vi princ. indiscern. Quot igitur sunt soboles hominum procreata, tot sunt diuersæ facultates s. possibilitates naturales, tam animæ, quam corporis, quæ in diuersas dispositiones ac diuersos habitus tam animæ, quam corporis eleuari possunt, tot diuersæ sunt vires, ac tot diuersi status.*

§. 47.

*Quot sunt soboles hominum procreata, tot sunt diuersæ facultates s. possibilitates naturales animæ §. 46. In anima vero dantur duæ facultates primariæ & generales, altera facultas cognoscitiua s. intellectus, altera facultas appetitiua s. voluntas, quæ plures alias facultates secunda-*



rias & speciales sub se complectuntur, uti ex Psychol. constat. *Quot ergo sunt soboles hominum procreatæ, tot diuersis modis facultates animæ tam primariæ & generales, intellectus & voluntas, quam secundariæ & speciales, a natura determinantur.*

## §. 48.

*Quot sunt soboles hominum procreatæ, tot diuersis modis facultates animæ, tam primariæ & generales, intellectus & voluntas, quam secundariæ & speciales, a natura determinantur §. 47. E, quot sunt soboles hominum procreatæ, tot sunt ingenia & studiorum inclinationumque millia.*

## §. 49.

*Alia igitur ingenia sunt mechanica, alia pœtica, alia philosophica, alia linguis apta siue philologica, alia oratoria & concionatoria, alia difficilia, alia facilia, alia stupida, alia capacia, alia apta sunt artificiis & artibus manuariis, alia artibus liberalibus, disciplinis & scientiis &c., & hoc iterum vel magis vel minus s. pro diuerso gradu §. 48.*

## §. 50.

*Soboles hominum procreatæ præsertim sexu ac temperamento differunt, ac perfectionibus animæ & corporis mares feminas præstant.*

Cf. *Dissert. nostra, cui titulus: Rationes, cur maior habilitas testium maribus quam feminis &c. tribuatur. Hæ prærogatiuæ marium sunt a natura, consequenter a Deo.*

## §. 51.

*Genera vitæ s. viuendi sunt modi, quibus soboles hominum procreatæ olim sibimetipsis de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis protpicere possunt, vel, si mauis, modi,*



di, quibus facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones & habitus eleuare possunt, quatenus scil. circa certa obiecta occupatæ sunt.

Cf. §. 44. not. & §. 42.

§. 52.

Genera vitæ s. viuendi sunt modi, quibus sobolis hominum procreatæ facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones & habitus eleuari possunt, quatenus scil. circa certa obiecta occupatæ sunt §. 51. Hæc vero facultates tot modis sunt diuersæ, quot sunt soboles hominum procreatæ diuersæ §. 46., & quot modis illa præsertim sexu & temperamento differunt §. 50. *E. genera vitæ s. viuendi tot modis diuersa esse possunt, quot sunt soboles hominum procreatæ diuersæ, & quot modis illæ præsertim sexu & temperamento differunt.*

Hæc est diuersitas subiectiua marium & feminarum, & quidem tam ratione animæ, quam ratione corporis.

§. 53.

Genera vitæ s. viuendi sunt modi, quibus sobolis hominum procreatæ facultates s. possibilitates naturales, tam animæ quam corporis, in dispositiones & habitus eleuari possunt, quatenus scil. circa certa obiecta occupatæ sunt §. 51. Obiecta vero, tam materialia, quam formalia, valde sunt diuersa, uti inter omnes constat. *E. genera vitæ s. viuendi quoque hoc respectu valde diuersa esse possunt.*

Hæc est diuersitas obiectiua, tam materialis quam formalis.

§. 54.

*Anima est perfectior corpore. Hinc genus vitæ, quo sobolis hominum procreatæ facultates s. possibilitates naturales animæ in dispositiones & habitus eleuantur, perfectius & honorabilius est genere vitæ, quo sobolis hominum procrea-*



*procreatæ facultates s. possibilitates naturales corporis in dispositiones & habitus eleuantur.*

## §. 55.

Vnum quoque obiectum altero perfectius est, e. g. homo & corpus humanum sunt talia obiecta, quæ habent perfectionem finis, reliqua vero corpora animalium & res inanimata habent perfectionem mediorum. *Hinc genus vitæ, quo sobolis hominum procreatæ facultates s. possibilitates naturales in dispositiones & habitus eleuatæ, circa unum obiectum e. g. hominem corpusue humanum, occupantur, perfectius & honorabilius est genere vitæ, quo sobolis hominum procreatæ facultates s. possibilitates naturales, in dispositiones & habitus eleuatæ, circa alterum obiectum, e. g. animalia & res inanimatas, occupantur.*

## §. 56.

*Parentibus competit, soboles procreatas eiusmodi vitæ generibus destinare, quæ cum sobolum procreatarum facultatibus s. possibilitatibus naturalibus, tam ratione animæ, quam ratione corporis, adeoque ingeniis & inclinationibus consentiunt.* Etenim parentibus competit, soboles procreatas certis destinare vitæ generibus §. 44. ac sobolum procreatarum actiones ad perfectionem earum dirigere §. 25., adeoque ita, ut consensum cum illis habeant *Ontol.* §. 69. Sobolum vero procreatarum facultates s. possibilitates naturales, tam ratione animæ quam ratione corporis, adeoque ingenia ac inclinationes inter se differunt §. 46. ff. E. ut supra,

Eodem modo patet, quod parentibus competat, soboles procreatas eiusmodi vitæ generibus destinare, quæ cum viribus & statu earum consentiunt §. 46. Nimirum parentes naturam liberorum imitari tenentur. Si enim actiones parentum cum natura consentiunt, seu per facultates naturales, tam animæ quam



quam corporis, determinantur, tunc bonæ atque perfectæ sunt. Patet quoque ex dictis, parentes liberos, eorumque ingenia ac inclinationes nosse debere. Ceterum cum ad impossibilia nemo obligatur, hic & in sequentibus semper subintelligendum est, quantum per parentes fieri potest.

§. 57.

*Parentibus competit, soboles procreatas eiusmodi vitæ generibus destinare, quæ cum sobolum procreatarum sexu ac temperamento consentiunt.* Etenim parentibus competit, soboles procreatas certis destinare vitæ generibus §. 45., ac sobolum procreatarum actiones dirigere ad perfectionem earum §. 25., adeoque ita, ut consensum cum illis habeant. Soboles vero procreatæ sexu & temperamento differunt §. 50. E. ut supra.

§. 58.

*Parentibus competit, soboles procreatas destinare generi vitæ perfectiori & honorabiliori, si cum istis consentit.* Etenim parentibus competit, soboles procreatas eiusmodi vitæ generibus destinare, quæ cum sobolum procreatarum facultatibus s. possibilitatibus naturalibus, tam ratione animæ, quam ratione corporis, adeoque ingenii & inclinationibus consentiunt §. 56. Iam vero fieri potest, ut genus aliquod vitæ perfectius & honorabilius cum sobole procreata consentiat. E. ut supra.

§. 59.

*Parentibus competit, in sobole procreata certo cuidam vitæ generi destinanda genus vitæ perfectius & honorabilius præferre imperfectiori & minus honorabili, si illud cum sobole consentiat.* Etenim parentibus competit, sobolem procreatam destinare generi vitæ perfectiori & honorabiliori, si cum ea consentit §. 58. Parentum quoque, ut hominum, officium est perfectio voluntatis, vi cuius  
C  
perfe-



perfectius & honorabilius præferri debet imperfectiori & minus honorabili, uti ex Iure Naturæ constat. E. ut supra.

§. 60.

*Genus studiorum est genus vitæ, quo sobolis procreatæ facultates s. possibilitates naturales animæ, ad intellectum pertinentes, in dispositiones & habitus eleuantur,*

§. 61.

*Genus studiorum est genus vitæ aliis perfectius & honorabilius.* Etenim genus studiorum est genus vitæ, quo sobolis procreatæ facultates s. possibilitates naturales animæ, ad intellectum pertinentes, in dispositiones & habitus eleuantur §. 60. Tale autem genus vitæ aliis est perfectius & honorabilius §. 54. E. ut supra.

§. 62.

*Parentibus competit, sobolem procreatam destinare generi studiorum, si hoc cum illa consentit.* Etenim parentibus competit, sobolem procreatam destinare generi vitæ perfectiori & honorabiliori, si hoc cum illa consentit §. 58. Genus vero studiorum est genus vitæ aliis perfectius & honorabilius §. 61. E. ut supra.

§. 63.

*Parentibus competit, in sobole procreata certo cuidam generi vitæ destinanda genus studiorum aliis præferre, si hoc cum illa consentiat.* Etenim parentibus competit, in sobole procreata certo cuidam vitæ generi destinanda genus vitæ perfectius & honorabilius præferre imperfectiori & minus honorabili, si illud cum sobole consentiat §. 59. Genus vero studiorum est genus vitæ aliis perfectius & honorabilius §. 61. E. ut supra.

§. 64.

*Parentibus competit, soboles procreatas certis destinare vitæ generibus §. 45., quæ cum facultatibus earum naturali-*



turalibus, tam animæ quam corporis, consentiunt §. 56., & quidem perfectioribus & honorabilioribus §. 59. adeoque etiam generi studiorum §. 63. Ad hæc vero genera vitæ ingredienda, persequenda & continuanda variis rebus externis comparandis & infumendis, adeoque pecunia, opus est, & quidem ad unum magis, ad alterum minus, uti res ipsa loquitur. *E. parentibus competit, res externas ad genera vitæ sobolum ingredienda, persequenda & continuanda necessarias, adeoque pecuniam, solite comparare atque consumere, ad unum magis, ad alterum minus, s. quantum quodlibet vitæ genus electum requirit.*

## §. 65.

*Suntus educationis* dicuntur res externæ, ad genera vitæ sobolum ingredienda, persequenda & continuanda necessaria, quæ a parentibus comparantur & consumuntur, vel si maus, pecunia, quæ in rebus externis, ad genera vitæ sobolum ingredienda, persequenda & continuanda necessariis, consumitur. *Suntus studiorum* speciatim vocantur res externæ, ad genus studiorum sobolis procreatæ ingrediendum, persequendum & continuandum necessaria, quæ a parentibus comparantur, vel, si maus, pecunia, quæ in rebus externis, ad genus studiorum sobolis procreatæ ingrediendum, persequendum & continuandum necessariis, consumitur.

## §. 66.

Sobolis procreatæ conferuatio, adeoque cura §. 26. & alimentatio §. 37. est fundamentum educationis, uti per se patet. (Soboles enim procreata, per alimenta non conferuata, educari nescit) *Hinc ad suntus educationis & studiorum etiam alimenta referri solent.*

Suntus educationis vel latius vel strictius accipiuntur. Latius in §. 66., strictius in §. 65. Sequimur hæc in re vestigia celeberrimorum Iureconsultorum. Sic e. g. b. STRVVIVS in Syn-



*ragm. Juris Civilis Exercit. XXXVII. §. 29. quamvis inquit, collationem sumtuum educationis & studiorum voluerit pater, detrahendi tamen sunt sumtus in alimenta, quippe quos etiam in alios filios impendit. Gemina hisce tradit SAM. STRYKIVS in Tr. de Success. ab intestato Dissert. XI. §. 12.*

## §. 67.

*Parentibus competit, sumtus educationis vel maiores vel minores in genere, ac sumtus studiorum in specie, soboli procreata suppeditare. Etenim parentibus competit, soboli procreata res externas, ad vitæ & studiorum genera sobolum procreatarum ingredienda, persequenda & continuanda necessarias, comparare & consumere, vel, quod idem est, suppeditare §. 64. Res vero externæ, ad vitæ & studiorum genera sobolum procreatarum ingredienda, persequenda & continuanda necessariæ, quæ a parentibus comparantur & consumuntur, vel suppeditantur, dicuntur in genere sumtus educationis, & in specie sumtus studiorum §. 65. E. ut supra.*

## §. 68.

*Parentibus competit, soboli procreata sumtus educationis & studiorum latius acceptos suppeditare. Etenim parentibus competit, soboli procreata alimenta præstare §. 37. Alimenta autem pertinent ad sumtus educationis & studiorum latius acceptos §. 66. E. ut supra.*

## §. 69.

*Parentibus competit, sumtus educationis & studiorum soboli procreata suppeditare §. 67. 68. quatenus sumtus sunt media educationis & studiorum §. 64. 65. 66., adeoque generum vitæ, quibus soboles hominum procreata olim sibimetipsis de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis prospicere possunt §. 51. Iam vero sapius accidit, ut hæc media a sobole procreata ad fines prædictos non applicen-*



plicentur. E. nec parentibus amplius competit, sumtus educationis & studiorum soboli procreatae suppeditare.

§. 70.

Parentibus competit, sumtus educationis & studiorum necessarios soboli procreatae suppeditare §. 64. ff. E. parentes ad sumtus non necessarios, e. g. eos, qui ad commissiones, computationes, luxum, ad conciliandas virgines &c. fiunt, non tenentur.

§. 71.

Parentibus competit, omni soboli suae procreatae sumtus educationis suppeditare §. 67. 68. E. porro patet, sumtus in educationem unius vel quarundam sobolum ita a parentibus faciendos esse, ut ceterae soboles procreatae educandae non negligantur, sed, ut habeant, unde vivant, quamdiu sibimetipsis de vitae necessitatibus aliisque subsidiis prospicere nesciunt.

§. 72.

Parentibus competit, soboli procreatae, siue educatae sit, siue minus, etiam post mortem suam superstiti prospicere, ac bona eidem relinquere. Etenim parentibus competit cura & educatio sobolis procreatae §. 27. & 29., vel, si accuratius loqui velimus, parentibus ratione sobolis procreatae competunt tres actus, conseruatio, concursus & gubernatio §. 29. not. & quidem ad imitationem Dei, cuius vices hac in re parentes gerunt §. 32. not., quamdiu scil. proles procreata viuit; consequenter parentibus etiam competit, proli procreatae de bonis ad hos fines necessariis prospicere ac bona eidem comparare §. 35. ff. Iam vero proles procreata, siue educata sit siue minus, sapius post mortem parentum superstes est. E. ut.

CONSTANTINVS L'EMPEREVN de legibus Hebraeorum forensibus scribit p. 258., parentum est liberos sustentare, eaque, quoad fieri potest,



potest, suppeditare, quibus instructi honeste vitam traducere queant, & p. 260. Viden' quantopere lex 7. Dig. l. 48. tit. 20. liberis caueat, ne omnino a paternis bonis excludantur? Parentum quippe est, filiis nondum natis prospicere, nedum adultis & quidem post mortem suam superstitibus conuenienter iis, quæ Socrates proloquens introducitur a Xenophonte l. 2. memor., vir nascendis liberis omnia præparat, quæcunque ipsis ad vitam conductura existimat, eaque quam potest plurima. Suffragatur etiam D. Paullus 2 Cor. XII. 14, ubi parentibus competere docet, liberis thesauros colligere.

## §. 73.

*Parentibus competit, felicitatem sobolis procreatæ promouere.* Etenim parentibus competit, sobolem procreatam eiusque perfectiones, quibus a natura instructa est, viribus suis conseruare & augere §. 24., ac ad hoc media circumspicere & conquirere §. 25. consequenter parentibus competit, efficere, ut soboles procreata ad maiores indies perfectiones progrediatur. Progressus vero ad maiores indies perfectiones dicitur felicitas. E. ut supra. Idem h. m. patet: Parentibus competit, actiones sobolis procreatæ ita dirigere, ut legi naturali conformentur §. 25., adeoque ut legis custodia adsit. Legis vero custodia obtinetur felicitas, uti ex Phil. Mor. patet. E. ut supra. Idem colligi potest ex §. 18.

## §. 74.

*Parentes ad liberorum curam, educationem, sumtus educationis & studiorum faciendos & ad felicitatem eorum promouendam a liberis cogi nequeunt.* Etenim liberorum cura, educatio, sumtus educationis & studiorum, ac felicitatis eorum promotio talia sunt, quæ ad liberorum perfectionem conseruandam & augendam faciunt §. 26. 28. 60. 73. Ad talia vero, quæ ad aliorum perfectionem conseruandam & augendam faciunt, homines cogi nequeunt vid. b. KOEHLER in Exerc. J. N. §. 735. E. ut supra.

Cogi



Cogi quis dicitur, si ad aliquid committendum vel omittendum vi quadam externa ab alio adhibita adigitur. Loquimur vero in §. 74. de statu naturali, non de statu ciuili. Nam in hoc republica iure gaudet obligandi parentes perfecte ad alendos educandosque liberos, idque ob salutem publicam, quæ non permittit, ut liberi ciuivium vel misere pereant, vel onera ciuitati sint, vel instar brutorum & ut inutilia ciuitatis pondera adolefcant, præcipue cum coniugia habeantur pro seminariis reipublicæ KOEHLER in *Jure Social.* §. 291. Nemini quoque in statu naturali ius cogendi parentes competit, nisi læsio & violatio legis strictæ dictæ facta vel metuenda sit. Quo minus autem liberi parentes cogant, reuerentia parentibus debita obstare videtur. Præterea cura & educatio liberorum est species auxilii §. 26. 28., ad quod præstandum nemo perfecte obligatur.

## CAP. II.

DE

EO QUOD IVSTVM EST CIRCA SVMTVS

EDVCATIONIS ET SPECIATIM

STVDIORVM A PARENTIBVS

FACTOS

## §. 73.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, illi quasi a seipsis eisdem repetunt.* Etenim si parentes liberis suis aliquid faciunt, illud quasi sibimetipsis s. parti suæ facere censentur, & si liberis aliquid accidit, illud quasi parentibus accidit §. 16. Iam vero ponitur, parentes sumtus educationis & studiorum a liberis repetere s. poscere, ut ab his restituantur. E. ut supra.

Idem valet, si parentes sumtus reposcere possunt.

Si



## §. 76.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, in hoc aliquid admittunt, quod σογγῆ est contrarium.* Etenim in parentibus datur σογγῆ, h. e., talis affectus amoris, quo homines per naturalem generationem propagatos s. liberos, ut seipsos, tenerrime complectuntur §. 18. Ponamus vero, parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetere s. poscere, ut ab his restituantur, in hoc parentes aliquid admittunt, quod perfectioni liberorum repugnat s. liberos imperfectiores reddit, uti ex sequentibus patebit. E. ut supra.

Vbi est σογγῆ, ibi est affectus amoris tenerrimus, ubi vero est affectus amoris tenerrimus, ibi est conatus efficax liberos perficiendi, qui cum conatu efficaci liberos imperfectiores reddendi consistere nequit. Et sicut σογγῆ effecit, ut parentes sumtus suppeditauerint; ita etiam σογγῆ effecere debet, ut tales sumtus non repetantur, præsertim cum σογγῆ ad dies vitæ parentibus insit. Idem valet, si sumtus reposcere possunt possibilitate morali.

## §. 77.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, illi conseruando, concurrendo & gubernando vices Dei gerere & instrumenta Dei esse dici nequeunt.* Etenim Deus vult, ut parentes conseruatione, concursu & gubernatione, h. e., cura & educatione liberorum vices sui gerant, ac instrumenta sua sint §. 30. 32. not. idemque qui, itidem conseruat, concurrat ac gubernat, uti ex Theologia Nat. patet, sumtus, ut ita loquar, non repetit. Ponamus vero, parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetere s. poscere, ut ab his restituantur. E. ut supra.

## §. 78.



## §. 78.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, id repetunt, quod in gloriam Dei, ornamentum familiae, (addo emolumentum ecclesiae, reipublicae, scholae) insunserunt. Etenim sumtus educationis & speciatim studiorum fiunt in gloriam Dei §. 30., iidemque, si praesertim liberi genera vitae perfectiora & honorabiliora elegerunt, simul in ornamentum & decus familiae (addo emolumentum ecclesiae, reipublicae, scholae) Ponamus vero, parentes hos sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetere s. poscere, ut ab his restituantur. E. ut supra.*

## §. 79.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, accidet, ut plures vel nulli vitae generi, vel saltem non perfectiori & honorabiliori, se destinari patiantur. Nam si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum, aliorumque generum vitae perfectiorum & honorabiliorum a liberis repetunt s. poscunt, ut restituantur, accidet, ut plures liberi de repetitione sumtuum, praesertim maiorum in studia & alia vitae generis perfectiora & honorabiliora faciendorum, metuant. Quicquid vero cum metu alicuius mali s. damni coniunctum est, nos ei destinari non patimur vi legis appetit. & auerfat. E. ut supra.*

Rectissime ERNEST. COTHMANNVS in responsis Juris Vol. IV. Resp. XVII. n. 10. scribit: *Id bene expendendum esse arbitror, quod e republica sit, ne sumtus, de quibus differimus, in collationem venire iubeamus, cum alias filii metu collationis faciendae studia & virtutem neglecturi, & magis de pecunia hereditaria, qua certa est, recte conseruanda, quam de studiis, quorum exitus incertus est, proprio sumtu & inuenso labore suscipiendis & pertexendis laboraturi sint.*

D

§. 80.



## §. 80.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum aliorumque vitæ generum perfectiorum ac honorabiliorum a liberis repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, liberi minus studebunt, sibimetipsis olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis prospicere, adeoque parentum onus educandi aggrauabitur. Etenim in casu repetitionis sumtuum accidet, ut plures liberi vel nulli vitæ generi vel saltem non perfectiori & honorabiliori, se destinari patiantur §. 79. In eo vero casu, quo liberi vel nulli vitæ generi, vel saltem non perfectiori & honorabiliori, se destinari patiuntur, eosdem minus studere, ut sibimetipsis olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis prospiciant, adeoque parentum onus educandi aggruari, facile colligitur. E. ut supra.*

## §. 81.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum aliorumque vitæ generum a liberis repetunt s. poscunt, ut ab iis restituantur, parentes obsunt gloriæ diuinæ, sibimetipsis, familie (addo ecclesiæ, reipublicæ, scholæ) §. 79. 80.*

## §. 82.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetunt, s. poscunt, ut ab his restituantur, parentibus non competit, liberis, si præsertim educati fuerint, etiam post mortem suam supersitibus prospicere ac bona iisdem relinquere. Veritas asserti per se patet.*

Si dissentis, concedam sumtus restitui debere a liberis. Annon vero statim a parentibus mortuis ad liberos redeunt? Quem ergo in finem restituntur? Hæc tamen cum sequentibus conferri debent.

## §. 83.



## §. 83.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, liberis imponitur onus comparandi res externas, ubi nulla sæpius occasio est, illi, qui honorabile vitæ genus elegerunt & ad dignitates euecti fuerunt, non possunt dignitatibus suis conuenienter viuere, s. in victu, amictu & domicilio rationem dignitatum habere, tot tantisque exantlatis laboribus & periculis paupertate illis sæpius consistendum est, plurimè prohibentur propriam domum constituere vel saltem in ea officiis non debite satisfacere, ac præterea inter parentes & liberos litium non erit numerus, & inter ipsos liberos in infinitum lites serentur (quatenus pro diuersitate generum viuendi subiectiua & obiectiua quantitas sumtum est determinanda) adeoque miserrima sæpissime erit liberorum conditio. Consequentia per se manifesta est.*

Sæpius deficiunt Patroni, ubi non deficit eruditio STRYK. in succ. ab Intest. Diss. XI. §. 2.

## §. 84.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum repetunt s. poscunt, ut ab his restituantur, illi liberorum felicitatem non promouent. Etenim in casu repetitionis sumtuum parentes efficiunt, ut liberorum conditio sæpius miserrima sit multisque laboret imperfectionibus §. 83. Quicumque vero efficit, ut alicuius conditio sit miserrima multisque laboret imperfectionibus, ille eiusdem felicitatem non promouet, uti per se patet. E. ut supra.*

## §. 85.

*Si parentes sumtus educationis et speciatim studiorum a liberis repetere s. poscere possunt, ut ab his restituantur, hæc vero restitutio quam plurimis difficultatibus est obno-*



xia §. 83., *parentes non facile genus viuendi perfectius & honorabilius ceteris minus perfectis praeferent.*

## §. 86.

*Si parentes sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetere s. poscere possunt, ut ab his restituantur, illi commodam viuendi rationem generis humani, quam Deus intendit, e medio tollunt §. 72.*

## §. 87.

*Parentibus non competit ius a liberis repetendi sumtus educationis & speciatim studiorum. Etenim hac repetitio sumtuum educationis & speciatim studiorum a liberis*

- 1) Est talis repetitio, quæ quasi ab ipsis parentibus fit. §. 75., adeoque absurditate non caret.
- 2) *εογγή*, h. e., affectui amoris, quo homines per naturalem generationem propagatos s. liberos, ut seipso, tenerrime complectuntur, contraria est §. 76.
- 3) Hac repetitione posita, parentes conseruando, concurrendo & gubernando, vel, si maior, cura & educatione liberorum, non amplius vices Dei gerunt & instrumenta Dei sunt §. 77. cum tamen esse deberent §. 30. 32. not.
- 4) Per illam parentes id repetunt, quod in gloriam Dei, ornamentum familiæ, (addo emolumentum ecclesiæ, reipublicæ, scholæ) insumserunt §. 78., quod pietati plane repugnat.
- 5) Diuersitatem ingeniorum, sexus & temperamenti tollunt §. 47. ff.
- 6) Eadem efficit, ut plures liberi vel nulli vitæ generi, vel saltem non perfectiori & honorabiliori, se destinari patiantur §. 79., adeoque
- 7) Liberi minus studeant, sibimetipsis olim de vitæ necessitatibus aliisque subsidiis prospicere, consequenter ut parentum onus educandi aggrauetur §. 80.
- 8) Per eandem parentes obsunt gloriæ diuinæ, sibimetipsis, familiæ (addo ecclesiæ, reipublicæ scholæ) §. 81.

9)



- 9) Obstat, quo minus parentes liberis post mortem suam superstitibus, prospiciant ac bona iisdem relinquunt §. 82., quod tamen præcipitur §. 72.
- 10) Miserrimam liberorum conditionem sæpissime reddit §. 83., nec adeo
- 11) Felicitatem liberorum promouet §. 84. contra §. 73.
- 12) Ipsa efficit, ut parentes non facile genus viuendi perfectius & honorabilius ceteris minus perfectis præferant §. 85., contra §. 57. ac denique
- 13) Commodam viuendi rationem generis humani, quam Deus intendit, e medio tollit §. 86.

Quicquid vero ita comparatum est, ut tot modis legi diuinæ repugnet & absurditatibus laboret, ad id parentibus non potest competere ius s. facultas agendi ex lege concessa, uti per se patet, E. ut supra.

§. 88.

Quoniam parentibus non competit ius sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetendi s. poscendi, ut ab his restituantur §. 87., patet, *illegitimam esse ac manere repetitionem sumtuum educationis & speciatim studiorum, licet parentum consignatio sumtuum etiam in peculiari libro, hunc in finem confecto, certa, atque animus credendi certus sit, ac licet pactum inter parentes & liberos (præsertim necessitate coactos liberos) initum fuerit.*

§. 89.

Parentibus non competit ius sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetendi §. 87. E. *nec parentibus competit ius, liberos ad restitutionem cogendi s. per coactionem & vim externam adhibitam sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetendi.*

D 3

§. 90.



## §. 90.

*Collatio sumtuuum educationis & speciatim studiorum a nobis dicitur eorundem in massam hæreditariam communem æqualiter diuidendam illatio.*

Collatio sumtuuum necessario supponit eorundem repetitionem. Nisi enim restituantur, in massam hæreditariam inferri nequeunt.

## §. 91.

*Liberi sumtus educationis & speciatim studiorum conferre non tenentur s. obligantur.* Etenim parentibus non competit ius sumtus educationis & speciatim studiorum a liberis repetendi s. poscendi, ut ab his restituantur §. 87. consequenter non habent ius poscendi, ut hi sumtus in massam hæreditariam communem æqualiter diuidendam inferantur, adeoque conferantur §. 90. Vbi vero non est ius actiue aliquem obligandi, ibi nulla est obligatio passiva s. necessitas agendi ex lege orta, uti ex Philos. Mor. patet. E. ut supra.

De hac re legitur decisio *Digest. lib. X. tit. 2. leg. 50.*, de eo quod pater filio studiorum causa subministravit: *Quæ pater filio emancipato studiorum causa peregre agenti subministravit, si non credendi animo pater misisse fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur.* Ad quæ verba STRYK. in *Success. ab Intest. Diss. XI. §. 8.*, hac lege, ait, moti Dd. omnes generaliter concludunt sumtus studiorum non esse conferendos, & multos allegat, a quibus iterum alii hanc in rem citantur. Notatu digna præsertim sunt verba COTHMANNI l. c. n. 8., deinde accedit ratio peccatis, quæ sumtus illos a collationis necessitate prorsus eximit, cum certum sit, impensas pietatis ergo factas extra repetitionem adeoque extra collationem esse. At qui in studia sunt sumtus, hosce sola pietas, hosce solus paternus vel maternus affectus ruetur, ideoque in collationem non veniunt. Confer ibidem n. 10. 12. 22.

## §. 92.



## §. 92.

Quoniam liberi sumtus educationis & speciatim studiorum conferre non tenentur s. obligantur §. 91., patet, collationem esse ac manere illegitimam, licet parentum consignatio sumtuum, peculiari libro in hunc finem confecto, certa, atque animus credendi certus sit, ac pactum inter parentes & liberos (liberos præsertim necessitate coactos) initum fuerit. Idem patet ex §. 88.

COTHMANNVS l. c., licet restrictiones in Jure civili usitatas in antecedentibus adferat, in consequentibus tamen n. 8, 10. 11. 12. 22. illas vellicare, imo penitus destruere videtur. Communiter vero Dd. cum Vlpiano restrictiones admittunt. Quoniam tamen hoc non tam crude accipiendum esse docent, ita, ut ad ultimum usque teruncium filius constringatur, sed detrahenda esse alimenta s. detrahendos esse sumtus ad victum & amictum necessarios, quibus etiam, si domi mansisset, opus habuisset, & quæ pater ipsi denegare non potuisset, non multum superesse videtur, quod in collationem venire possit. Cf. Stryk. l. c., SCHNEIDEWIN in Comment. ad Instit. Imper. D. Iustiniani Lib. IV. Tit. VI. de Famil. ercisc. p. 1382. ff., nec non lib. II. tit. VII. de donat. inter viuos p. 462. Quando quaritur, an filio sumtus in suam partem computari debeant, qui illos in debitos usus non conuertit, vel studia deseruit, in Iure Naturali negamus vi §. 18. 73., licet in Iure civili rationes affirmandi sufficientes adesse possint. Si filius eosdem in malos, prohibitos & non necessarios usus conuertit, conferendi esse videntur §. 70.

## §. 93.

Ex §. 91. 89. quoque patet, liberos ad collationem sumtuum educationis & studiorum cogi non posse.

Hinc b. KOEHLERO assensum præbere non possumus, quando in Iure sociali §. 292. ff. parentibus tribuitur ius sumtus educationis a liberis poscendi, reperendi ac de iis ita disponendi, ut illi eosdem in massam hæreditariam conferre teneantur. Hic nobis non persuadet, eiusmodi ius parentibus comperere, quod  
1) sum-



1) sumtus educationis & studiorum ad rō suum parentum per-  
tineant idque maneat, ob impossibilitatem paciscendi libe-  
rorum, in infantia & minorennitate constitutorum 2) operas  
& labores ad sumtus educationis compensandos liberis iniungere  
possint *Iur. Soc.* §. 292. ff. Nam respondemus, a) sumtus  
non manere rō suum parentum, quia Deus vult, ut hæ res  
externæ, quæ consumuntur, liberis indigentibus communes  
fiant §. 30., ac præterea sumtus e pietate erogari & in gloriam  
Dei, emolumentum ecclesiæ, reipublicæ, scholæ &c. facti re-  
peti nesciunt b) operas & labores liberis a parentibus iniungi,  
non tam ad sumtus educationis compensandos, quam ad onus  
alimentationis & educationis quodammodo subleuandum & ut  
liberi mature labori adsueant, eique, ut officio hominis erga  
seipsum, satisfacere discant.

## §. 94.

*Ceterum tenerrimus amoris affectus, quo parentes  
liberos prosequuntur, conatus efficax illos perficendi ac  
innumera in eosdem collata beneficia, satis liberos docent,  
quod parentes redamare, quouis modo perficere, ac de re-  
bus bonisque suis illis honorem exhibere, de iisque egentes  
alere teneantur, in statu naturali vero ad alimenta iisdem  
præstanda, ut officium humanitatis & auxilium, cogi ne-  
queant.*

FINIS.





Kd 3770

V. D.  
18

ULB Halle

004 979 664


3











Farbkarte #13

B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

DE

EO QVOD IVSTVM EST <sup>163</sup>  
RCA SVMTVS EDVCATIONIS  
T SPECIATIM STVDIORVM

IN ILLVSTRI ARCHIGYMNASIO TREMONIENSI  
EX IVRE NATVRALI  
PVBLICE DISQVIRVNT  
PRÆSES

*Vol 377 d*

MARTINVS PILGER

PRO-RECTOR AC PROFESSOR PHILOSOPHIÆ PVBLICVS  
ET RESPONDENS

CASPARVS CAROLVS WEVER

WETTERA-MARC, LL. ET PHILOS. CVLTOR

AD D. 2. MENSIS SEPTEMBRIS *clb* cc xlv.

TREMONIÆ

EXCVDERANT OPERAE BAEDEKERIANAE

